



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

14. Sacro Sancti &c. Constitutio absolutoria ad favorem eorum qui
subreptitias Alexandri VIII. Litteras de prorogatione Officiorum Prioris
Generalis, Procuratoris Generalis & assistentium Generalium ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

missorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, formas, & occasiones presentibus, pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alijs in suo robore permanentibus, ad pramissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut eandem presentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud habeatur, quae ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. M. Majorem sub annullo Piscatoris die prima Martii 1692. Pontificatus Nostri anno primo.

J. Hard. Albanus

Transumptu fides D. prima Martii 1692. P. A. primo.

XIV.

Constitutio absolutoria ad favorem eorum qui subreptis Alexandri VIII. Litteras de prerogatione officiorum Prioris Generalis, Procuratoris Generalis & Assistentium Generalium Ordinis Fratrum Eremitarum obtinuerunt.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à componendi Religiosorum studiis.

Sacro-Sancti Apostolatus Officium Supremi dispositione Consilii Nobis, nullo licet merito Nostrorum suffragio, impositum salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes exorta inter Religiosos Viros, quos vota sua Altissimo in Sanctitate & Justitia, paceque fraternā redde docet, dissidia opportunis rationibus recedere, ac felici, prosperoque illorum regimini, quantum cum Domino possumus, consulere studemus, sicut omnibus maturè consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam, & Animarum salutem arbitramur in Domino expedire.

Absolvuntur qui Alexandri VIII. Litteras super prerogatione officiorum Procuratoris Generalis &c. obtinuerunt.

§. 1. Itaque pro Paterna, pastoralique Nostra sollicitudine causam prerogationis Capituli Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini inter nonnullos dicti Ordinis Fratres informantes, ex una, & dilectum Filium Fulgentium Travalloni Priorem Generalem dicti Ordinis, non tamen informantem ex altera partibus (ut accepimus) vertentem, secundum aequitatis non minus quam iustitiae regulas dirimere cupientes, ac quarundam fel. rec. Sixti PP. V. Praedecessoris Nostri Litterarum, per quas sub poenā excommunicationis latae sententiae prohibetur expresse omnibus & singulis dicti Ordinis Professoribus, ne ipsi, seu pro tempore existens Prior Generalis ejusdem Ordinis, aut quisvis alius quacumque dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgens, seu ipsius Ordinis Protector quacumque de causa, etiam urgentissima, confirmationem, live extensionem Officii Prioris Generalis Ordinis praedicti in aliud etiam brevissimum tempus ab hac Sancta Sede petere, & obtentā uti audeat, vel praesumat, tenorem presentibus pro plenè & sufficienter expresso, ac inserto habentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui rec. mem. Alexandri Papae Octavi etiam Praedecessoris Nostri in simili forma Brevis Litteras super prerogatione, & extensione Officiorum Prioris Generalis, & Assistentium Generalium ejusdem Ordinis die 22. Julii 1690. emanatas non sustineri, & esse subreptitias censuerunt, consilio, ac motu proprio, & ex certa scientia, & maturā deliberatione Nostri,

deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnes, & singulos, qui dictas Alexandri Praedecessoris Litteras impetraverunt, vel illis usi fuerunt, ab excommunicatione, aliisque censuris quibuscumque, quas propter impetrationem, vel usum Litterarum hujusmodi quomodolibet incurrerunt, seu incurrisse dici, censi, vel praetendi possent, tenore presentium in utroque foro absolvimus, & totaliter liberamus.

§. 2. Ac cum ipsis super irregularitate per eos, qui censuris hujusmodi propter praemissa innodati Sacrosanctum Missae sacrificium, non tamen in contemptum Claviū, forsā celebraverunt, seu alias in suis Ordinibus, respectivè ministrarunt, quomodolibet contracta, ita ut illa, & iisdem praemissis non obstantibus, dummodo nullum aliud Canonicum eis obstat impedimentum, Clericali charactere, quo alias ritè insigniti fuerunt, illiusque privilegiis, ac susceptis per eos pariter ritè quatuor minoribus, nec non Sacris Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus uti, & quatenus illos nondum susceperint, ad eos, si ad id idonei reperiuntur, servatis alijs servandis promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris Ministerio ministrare liberè, & licitè possint, & valeant, in utroque pariter foro dispensamus.

§. 3. Ceterum omnia, & singula per dictum Fulgentium Priorem Generalem, alioque Ordinis praefati Ministros post impetratas supradictas Alexandri Praedecessoris Litteras gesta, aliave quaecumque inde ceteroqui legitime secuta, motu, scientia deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie sanamus, & convalidamus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, qui propter praemissa desuper quomodolibet intervenerunt, supplemus; Capitulum verò Generale ipsius Ordinis pro Festo Pentecostes anni proxime venturi 1693. convocandum esse, & interim usque ad celebrationem Capituli Generalis hujusmodi ipsum Fulgentium Priorem Generalem, nec non Dilectos Filios modernos Procuratorem Generalem, & Assistentes Generales dicti Ordinis, in suis respectivè Officiis, illorumque libero exercitio, cum omnibus, & singulis praeminentiis, praerogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis continuare debere statuimus, & mandamus.

§. 4. Decernentes easdem praesentes Litteras firmas, validas, & efficaces existerè, & fore, suoque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, in omnibus & per omnia, plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari & definiti debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus praefatis Sixti Praedecessoris Litteris, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisque quibuscumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alijs in suo robore permanentibus, ad pramissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut ii, qui memoratas Alexandri Praedecessoris Litteras impetraverunt, vel illis usi fuerunt, ut praefertur, poenitentiam, quam eis Sacerdos idoneus propter praemissa respectivè imposuerit, omnino adimplerant, alioquin praesentes Litterae eis quoad absolutionem in foro conscientiae minime suffragentur.

Dispensatur super irregularitate commissā.

Convalidantur gesta post impetratum Litterarum impetrationem.

Decretum roborans & irritans.

Derogatio contrariis.

Adimplenda poenitentia.

Et trans-
sumptis fi-
des adhi-
benda.

D. 14. Mar-
tii 1692. P.
A. primo.

XV.

Concessio
Pauli Papæ
V. Philippi
III. Hispaniarum
Regi facta.

Moderamen
Urbanum VIII.

§. 7. Quodque earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extrâ illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 14. Martii 1692. Pontificatus Nostri Anno Primo.

J. F. Card. ALBANUS.

Prorogatio concessionis & moderaminis respectivè Pauli V. & Urbani VIII. super facultate conferendi gradus scholasticos pro quibusdam Indiarum Occidentalium Collegiis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **A**liis felicis recordationis Paulo Papæ Quinto Prædecessori Nostro pro parte claræ memoriæ Philippi Tertii Hispaniarum Regis Catholici exposito, quoddam in Partibus Indiarum Occidentalium propter magnam multorum locorum, & Civitatum à Limana, & Mexicana Civitatibus, in quibus Universitates studii Generalis erectæ sunt, distantiam, multi reperiebantur, qui ex eo, quod ad dictas Universitates pro suscipiendis inibi gradibus consuetis accedere non poterant, studiis operam navare nolebant, unde magna in eisdem partibus virorum, qui Logicæ, Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ Studiis pro verbi Dei prædicationibus, & Sacramentorum administratione versati essent, penuria vigeat; dictus Paulus Prædecessor supplicationibus ejusdem Philippi Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinat, tunc existentibus Archiepiscopis, & Episcopis Indiarum Occidentalium, & sede illorum vacante, Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, ut gradibus Baccalaureatus, Licentiatuæ, Magisterii, & Doctoratus insignire valerent, quotquot annis quinque studuissent in Collegiis formatis tam Fratrum Ordinis Prædicatorum quam Presbyterum Societatis Jesu, quæ à publicis Universitatibus ducentis saltem milliaribus distarent, dum tamen iidem promovendi prius gessissent actus omnes, qui in Universitatibus generalibus fieri consueverant pro his gradibus adipiscendis, atque à Rectore, & Magistro Collegii approbationem obtinuissent, Apostolicâ auctoritate ad decennium tunc proximum concessit, & indulgit. Volens, quod gradus hujusmodi nemini suffragarentur, nec quicquam illis uti posset extrâ Indias Occidentales prædictas, & alias prout in ipsius Pauli Prædecessoris Litteris desuper in simili forma Brevis die 11. Martii 1619. expeditis plenius continetur.

§. 2. Subinde verò recolendæ mem. Urbano Papæ Octavo Prædecessori etiam Nostro pro parte claræ pariter mem. Philippi Quarti earumdem Hispaniarum Regis Catholici similiter exposito, quoddam ex concessione, & indulto Pauli Prædecessoris hujusmodi nonnulla inconvenientia in dies oriebantur, ac propterea per ipsum Urbanum Prædecessorem desuper opportunè provideri summopere desiderabat, idem Urbanus Prædecessor supplicationibus dicti Philippi Quarti Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis pariter inclinat, voluit, & pari auctoritate decrevit, quod gradus prædicti in dictis tantum Provinciis suffragarentur, nec extrâ illas quicquam illis uti posset, iidemque gradus illis dumtaxat, qui in dictis Collegiis ipso quinque annorum studuerant, ac adhibito per ipsos Archiepiscopos, & Episcopos Consilio trium Canoniorum Seniorum suarum Ecclesiarum, nec non

servatâ in reliquis dictarum Pauli Prædecessoris Litterarum formâ conferrentur, & alias prout in ejusdem Urbani Prædecessoris desuper pariter in forma Brevis Litteris, quas ad decennium tantum valere voluit, die 7. Januarii 1697. expeditis, quarum & præfatarum Pauli Prædecessoris Litterarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur.

§. 3. Cum autem, sicut Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli earumdem Hispaniarum Regis Catholici nomine Nobis per Dilectum Filium nobilem virum modernum Ducem de Medina Cæli, ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem, nuper expositum fuit, eadem causæ, propter quas præfata Pauli, & Urbani Prædecessorum Litteræ emanarunt, adhuc perdurent, nec aliæ in illis partibus Universitates Studii Generalis nisi post longum tempus erigi posse videantur, Nobis propterea ipsius Caroli Regis nomine per memoratum Ducem humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur dicti Caroli Regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, atque Episcopis Ecclesiarum Indiarum Occidentalium, & Sede illarum vacante, earumdem Ecclesiarum Capitulis, ut adhibito consilio trium Canoniorum seniorum suarum Ecclesiarum, gradibus Baccalaureatus, Licentiatuæ, Magisterii, & Doctoratus insignire valeant, quotquot annis quinque studuerint in Collegiis formatis Fratrum Ordinis Prædicatorum, quæ à publicis Universitatibus ducentis saltem milliaribus distant, dummodò tamen iidem promovendi prius gessissent actus omnes, qui in Universitatibus generalibus fieri consueverunt pro his gradibus adipiscendis, atque à Rectore, & Magistro Collegii approbationem obtinuerint, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus, & indulgemus; ita tamen, ut indultum hujusmodi ad decennium tantum durare debeat, dictique gradus nemini suffragentur, nec illis quicquam uti possit extrâ præfatas Indias Occidentales; ac salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

§. 4. Decernentes ipsas præsentis Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sique in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Volumus, autem ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extrâ illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Causis ad
huc subsi-
stentibus
additur
nova à SS.
Confirmatio.

Decretum
roborans,
& irritans.

Derogatio
contrariis.

Transum-
ptorum fi-
des.

Datum